



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis  
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

XXXIV. Testimonia Patrum nonæ ætatis, Theophylacti, & Paschasij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

*Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus, & sanguinem Christi: & non sunt duo, sed unum, & idem. Non est figura panis, & vinum corporis, & sanguinis Christi; absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum.*

EPIPHANIVS Damasceni æqualis, & doctissimus, in disputatione cum Gregorio, quæ habetur in VII. Synodo act. 6. tomo 3. multis verbis probat, Eucharistiam non esse figuram corporis & sanguinis, sed ipsum verum corpus, & sanguinem Domini: *Nunquam inuenies, inquit, neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse; Verum ipsum corpus, & ipsum sanguinem.*

CAPVT XXXIV.

*Testimonia Patrum IX. ætatis, Theophylacti, & Paschasi.*

**T**HEOPHYLACTVS post annum Domini DCCC. omnium consensu floruit, ac de veritate corporis Domini Chrysostomum imitatus, apertissimè, & copiosissimè scripsit. In cap. 26. Matth. *Porrò dicens; Hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum corpus est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit; Hoc est figura, sed, Hoc est corpus: ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis videatur panis.* Vide etiam eundem in cap. 14. Marci, & in cap. 6. Ioan. & in cap. 10. & 11. prioris ad Cor. in quo ultimo loco explicans illa verba: *Non diiudicans corpus Domini.* Sic ait: *Si certiores essemus, quis nã, & quantus sit ille, qui nobis in conspectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus, sed solus ille, & continentiam nobis, & vigilantiã compararet.*

Sed inuenerunt in Theophylacto vnum verbum, quod pro se arriperent aduersarij. Nam in cap. 14. Marc. dicit Theophylactus, panem transmutari in virtutem carnis Christi; ex quo exponi volunt, quod idem habet in cap. 26. Matth. & in cap. 6. Ioan. panem transmutari in carnem Domini. Itaque sensum esse volunt omnium istorum locorum, panem per mutationem Sacramentalem fieri instrumentum diuinę virtutis, quo nimirum animi nostri excitentur ad fidem. Ita Petrus Martyr disputat lib. contra Gardinerum, obiecto 13.

Rf At

At nimia impudentia est de Theophylacti testimonio disputare, cum ipse in cap. 6. Ioan. disertè dicat, non esse panem post consecrationem, licet oculis videatur; & transformari ineffabili operatione (nulla autem ineffabilis operatio recipitur ut sit instrumentum excitandæ fidei) & non esse figuram sed ipsum corpus; & ita verti panem in carnem Christi post consecrationem, ut vertebatur olim per nutritionem, cum Dominus hic in terris viveret: & denique oportere in Eucharistia sumenda simpliciter credere, & non dicere, Quomodo potest id fieri? &c. Quod ergo Theophylactus dicit mutari substantiam panis in virtutem carnis Christi, significat mutari in essentiam carnis Christi, quæ vim habet nutriendi animos, ut substantia panis vim habet nutriendi corpora: sicut enim est, ac si dixisset, sub speciebus panis antea erat vis quædam nutriendi corpora, nimirum substantia panis, nunc est vis quædam nutriendi animos, nimirum substantia carnis Christi. ADDE, quod si Theophylactus dicere voluisset panem fieri instrumentum diuinæ virtutis, non dixisset mutari in virtutem carnis Christi, sed in virtutem Spiritus sancti: nam Spiritus sanctus est (ut ibidem ait Petrus Martyr) qui per sacramenta sacra functione utitur Sacramento tanquam instrumentum: immò nec dixisset, transelementari, sed fieri. Quis enim tam absurdè loqueretur, ut si dicere vellet, calamus aptari oportere, ut fiat instrumentum scribæ, diceret calamus transelementari in virtutem scriptoris?

Eodem seculo floruit PASCASIVS Abbas Corbeienfis qui librum accuratissimum scripsit de corpore Domini de centis ferme annis, antequam Berengariana hæresis nasceretur. In eo sic ait cap. I. *Omnia quacunque Voluit Dominus facit in celo & in terra, & quia Voluit, licet figura panis, & vini hic sit, tamen omnino nihil aliud, quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt: & infra prolixè id probat. Idem in epist. ad Frudegardum ex professo idem probat: & rursus in libello de institutione Sacramenti: Nec, inquit, ita dixit cum fregit, & dedit eis panem; Hac est, vel in hoc mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei: sed ait mystice; Hoc est corpus meum: & ideo, hoc est quod dixit, non quod quisq; fingit.*

